



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118642

§. 81. Pax Regis edicto confirmata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

cis Ministellis, qui cunctos animo fractos suis hortationibus erigebant, decepti denuo fortiter novam sustinebant irruptionem, quam Castreus exeunte Mense Julio fecerat, quin eos vi superare possset.

§. LXXX.

Pax a Rege Calvinistis indulta.

Præterea Rupellensium repugnantia Sacri-cæsarensium pertinaciam augebat; isti enim pariter sese summa fortitudine tuebantur, eosque pertinax illud consilium, quo omnes deditiois conditiones respuebant, abs dubio ad extremam calamitatem redegisset, nisi tandem Rex per Andegavensis Ducis electionem in Poloniæ Regem factam ad pacem hisce rebellibus concedendam impulsus fuisset.

*Thuan. l. c.
Dupleix
hist de
France t. 3.
pag. 802.*

§. LXXXI.

Pax Regis edicto confirmata.

Hujus concordiaë articulis die sexta Julii firmatis Bironius quarto post die urbem ingressus ibidem hanc pacem promulgari jussit, quam pariter Rex eodem Mense confirmavit, divulgato hanc in rem edicto, vi cujus hæc sanciebantur. I. Motuum, qui a die vigesima secunda Augusti anni prioris fuerunt suscitati, oblivio sanciat. II.

*Thuan.
pag. 941.*

I 2

Ca-

Sæcul. XVI. Catholica Religio in omnibus locis, **A.C. 1573.** quibus ab illo die exturbata est, restituitur. III. Rupellanis, Nemaufensibus, & Montalbanensibus libera doctrinæ suæ professio juxta edicta in Protestantium gratiam facta permittatur. IV. fidi regiæ Majestatis subditi a præfidiis immunes declarentur, & privilegia ipsis sua confirmentur. V. Illis omnibus, qui ab illo die in eadem Religione perseveraverunt, domum redire, ibique cum omni conscientiæ libertate manere liceat, & inde, quo velint, per universum regnum commeandi facultas detur. VI. Nobilibus, qui summam jurisdictionem habent, & ab illa die eandem religionem professi fuerunt, conciones domi, baptismos, & matrimonia celebrandi, ac cœnam administrandi jus sit, ita tamen, ut præter Patrilos, & Matrilos ad hosce ritus plusquam decem homines congregare nequam permittantur. VII. Syngraphæ, & promissiones, quæ de religione, ac spuria reformatione ejuranda ab illo tempore sunt factæ, irritæ pronuntientur. VIII. Omnes sententiæ adversus Protestantes belli istius tempore latæ, quæ sive capitales, sive civiles causas concernunt, tanquam nullæ, & nullius effectus esse declarentur. IX. Cuncti dignitatibus, muneribus publicis, ac bonis

bonis restituantur. X. & postremo ad-
ditum ad testificandam trium illorum
oppidanorum obedientiam, ut per duos
insequentes annos ex singulis Urbibus,
quatuor e primariis civibus, quales
Rex pro suo arbitratu elegerit, tanquam
datæ fidei obsides in aulam veniant,
& trimestri exacto commutentur. Iis
præterea Rex spondit, se gubernato-
rem, qui suo nomine regat pacate
oppidanos, ipsis impositurum, iudices-
que minime eis suspectos daturum.

Insuper sancitum, ut in omnibus
Provinciis arma ponerentur, festique
dies servarentur, atque in jejuniis die-
bus macella clauderentur.

§. LXXXII.

Sacricæsariensis Urbis deditio.

Cum Sancerrani, seu Sacricæsariensis ab hujus edicti gratia sese ex-
clusos cernerent, in deditionem accipi-
petebant, quod illis etiam datum pa-
ctis hisce conditionibus. I. Præteri-
torum criminum gratia obsessis a Rege
fiat. III. Tam oppidani, quam inqui-
lini, & mulieres, ac belli Duces bonis
omnibus immobilibus restituantur. III.
Mobilia bona depensis intra sextum
diem quadraginta librarum millibus re-
dimant. IV. Pacificationis nuper cum
Rupellanis factæ beneficio utantur. V.

Thuan. l. 56.